NATIONUM GRAECARUM DIVERSITATES ETIAM AD ARTIS STATUARIAE ET SCULPTURAE DISCRIMINA VALUISSE.

DISSERTATIONEM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

FACULTATEM DOCENDI

IMPETRANDAM

IN

ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA ERLANGENSI

CONSCRIPSIT

Dr. C. FRIEDERICHS.

ERLANGAE,

SUMTIBUS ANDREAE DEICHERT.

MDCCCLV.

1855

THESES.

1.

Versus Iliadis XX, 213—258 sunt delendi.

2.

In Tibulli carm. I, 3, 63 falso legunt „At juvenum etc.

3.

Quae a Dissenio annotantur ad Pind. Ol. V, 8 et XI, 56 (cf. Pyth. IV, 17) natura sermonis poetici facillime explicantur.

4.

Pindari dictio non temere abhorret ab usu verbi substantivi.

5.

Beckerus errat, generi dicendi attributivo antecedere cogitatione praedicativum judicans.

6.

Sermonem humanum ad logicorum rationes esse conformatum nego.

7.

Schneidewinus (Proleg. ad Oed. R. p. 19—21) falsissime judicat de Oedipo Rege.

8.

Fabula, quae de Icaro traditur, ad antiquissimam navigationem est referenda.

9.

Columnae, quae coelum sustinent (Hom. Od. I, 53), montis Atlantis sunt cacumina.

10.

Homeri Aurora non solum est matutina, sed etiam vespertina.

11.

Epitheton Aurorae „ῥοδοδάκτυλος“ coeli Graeci natura explicatur.

12.

Selecta artis monumenta in gymnasiis sunt explicanda.

13.

Jis, qui origines artis Graecae ex Aegypto repetunt, obstant et scriptores et monumenta.

14.

Plasticen Graecam inde a Phidia usque ad Hadrianum floruisse nego.

15.

De aetate Laocoontis sequor Lessingium.

16.

Sculptura Graeca post Phidiam ad perfectionem venit.

Mirum profecto videtur, quod nationum Graecarum diversitates, quas in ceteris rebus quam latissime regnasse inter omnes constat, in arte nullas fere fuisse viri doctissimi contendunt. Fuere sane, qui Dorum artem eandem fuisse atque Atheniensium negarent, inter quos primus, quantum scio, Schellingius [1]) naturam artis Doricae adumbrare conatus est, sed nihil inde emolumenti adhuc historia artis Graecae percepit. Quod hanc ob causam factum esse conjicio, quia Schellingius de una arte Aeginetica loquitur, quam ut exemplum proponit universae artis Doricae. Neque demonstrat vir summus id, quod erat demonstrandum, quomodo illud, quod vult proprium fuisse artis Doricae inde a prima aetate, concinat cum ceteris Dorum institutis. Veritatem imitabantur Dores e Schellingii opinione ut qui maxime; fac hoc verum esse, scire velim, quomodo peti possit e Doriensium moribus, factis, institutis [2]). Fuisse proprium aliquid artis Doricae et nascentis et adultae iis persuasum est, qui in artis operibus non solum manus, sed etiam ingenia artificum sentiant — ingenia autem nationum Graecarum sunt diversissima —; quaerat autem qui invenisse aliquid sibi videtur, habeatne similitudinem quandam cum eo, quod Dorum fuisse e ceteris rebus scimus. Etenim ad unum aliquod et ultimum omnia sunt revocanda, quae vel singuli vel nationes vel gentes excogitaverunt protuleruntque in lucem.

---

1) In additamentis ad Wagnerum: De signis in insula Aegina inventis. 1817.

2) Opificum opera in insula Aegina non ita aliena fuisse ab artificum dicit Schellingius et hinc putat factum esse, ut hanc veritatis severitatem sequerentur artifices (p. 116). At idem vult artem Aegineticam Doricam esse, debebat igitur quod omnium commune esse vult, non ad unius civitatis res atque instituta sed ad omnium referre.

Schellingio alii adsentiunt, alii negant discrimina nationum etiam ad artem pertinuisse. Muellerus [3]) ingeniose, ut solet, describit artem Doriensium nec tamen accuratius rem persequitur; satis habet summa attigisse. Quam recte judicarit, spero me esse demonstraturum et ex iis, quae tradita sunt de artificibus e Doricis civitatibus profectis, et e monumentis quibusdam, quae nobis sunt relicta. Muellerum complures [4]) secuti sunt, quos vellem longiores fuisse; contradixit Thierschius [5]), quocum fecit Wēlckerus [6]). Quibus, ut omittam quae praebent philosophi, haec opponam. Pausaniae sextum librum si legeris, nonne mirum tibi videbitur, inter tot statuas in Altide collocatas paucissimas inveniri Atheniensium nominibus inscriptas? Silvam artificum Sicyoniorum, Aegineticorum, Argivorum vix tenebis memoria, Athenarum gloriam paucissima testificantur signa. Invenies Phidiam, in quo noli praetermittere, quod addit Pausanias [7]), se praeter hoc quod affert nihil habere compertum de statuis athletarum a Phidia factis, desunt autem Alcamenes, Agoracritus, desunt sculptores celeberrimi Praxiteles Scopasque et qui hos secuti sunt, desunt eo loco, ubi tota Graecia de virtute certabat. Quis est qui casu hoc esse factum putet! Quis negaverit artifices celeberrimos curasse, ut monumenta virtutis Olympiacae, quae victorum laudes praedicabant, praedicarent eadem manus artificum. Quaeras igitur, quid sit illud, quod retinuerit Athenienses ne Altidem signis ornarent. Missos enim facio qui dicant Pausaniam non omnes enumerare artifices inde-

---

3) In libro de Doribus Vol. II p. 380—382. Cf. eundem in Annal. Vindobon. XXXVIII p. 274 et in enchir. archaeol. §. 91. §. 95.

4) Vid. quos laudavi in libro meo de Praxitele etc. Lips. 1855. p. 5. n. 1. quibus adde Fortoulium (Études d'Archéol. et d'Hist. Paris. 1854. I. p. 1—69) cujus tamen liber scatet erroribus. At Francogallus scilicet nostram despicit doctrinam suorumque praefert „somnia" (imagination) p. 30.

5) Epoch. art. p. 246 seqq.

6) Monum. art. ant. I. p. 38 seqq.

7) VI, 4, 5 Schub., de quo loco recte disputat Brunnius in hist. artif. p. 185. 186.

que esse factum putent, ut nobilissimus quisque desideretur. Aut non erant in Altide signa ab artificibus illis facta, aut scriptor religiosissimus, qui ne minorum quidem artificum opera transit, commemorabat nobiliora. Jam dixerit quispiam artis fuisse statuariae, victorum Olympiacorum statuas praebere, Atticos autem artifices marmore praestantiores fuisse quam aere. Afferet is fortasse Plinii librum tricesimum sextum, qui eos enumerans artifices, qui marmore famam adepti sunt, in Atticis totus fere versatur; afferet fortasse Graeciae templa, quorum fastigia plerumque videtur signis ornasse ars Attica [8]). His argumentis recte, opinor, utitur, quibus gloriam Atheniensium sculptura niti, non arte statuaria demonstret, altera autem nascitur quaestio, cur ad marmora potissimum Athenienses se contulerint. Quam quaestionem dubito sitne quis ita soluturus, ut dicat lapicidinas celeberrimas patuisse Atheniensibus; adjuvant hae res artificum studia, non excitant. Hac de re infra dicam; cur autem Altis ornata fuerit tot operibus Doricae artis, fingamus aliquos ita explicantes: Constat inter omnes, quam studiosi Dores fuerint artis gymnasticae; quid vero? mirumne cuiquam videbitur, artifices quoque eodem studio fuisse incensos, quo totus flagrabat populus? mirumne videbitur, eos summam curam posuisse in eo, ut statuas athletarum, praemia virtutum, quam perfectissime elaborarent? Quibus plane assentior neque tamen acquiesco in hoc

---

8) Artifices, quos templorum fastigiis manus admovisse tradit Pausanias, sunt ad unum omnes ab Attica disciplina profecti: Delphis templum ornaverunt Praxias et Androsthenes, Athenienses (X, 19, 4); Olympiae Paeonius (de quo cf. Brunnium p. 244) et Alcamenes (V, 10, 8); Tegeae Scopas (VIII, 45, 5 seqq.) (cf. Welck. Monum. a. a. I, 199. Brunn. p. 323); Thebis Praxiteles (IX, 11, 6). Anaglypha de templo Apollinis, quod Bassis est, detracta nemo dubitabit quin si non Alcameni, at certe Atheniensi alicui debeantur (Stackelberg de templo Apoll. Bass. p. 84 seqq.). Per totam Graeciam dispersa erant marmorea Atheniensium opera, quamobrem nimis audacter Rangabeus trunca illa marmorea ex Heraeo effossa tribuit Polycleto (cf. Rossii de Heraeo libellum nuperrime editum), inter cujus opera nullum marmoreum refertur a scriptoribus.

argumento. Et sunt alia et quaerendum, quid haec artificium studia ad artem valuerint. Etenim hoc est vel gravissimum artem Graecam perscrutanti, ut causas cognoscat, cur fecerint artifices, quae fecerunt curque ita fecerint, ut fecerunt. Multae autem res conformant ingenia artificum, patriae mores institutaque, tempus quo vixerunt, solum ubi nati sunt et quae sunt similia, quae nisi antea accurate perspexeris, dubito, possisne unquam assequi, quid artificum manus rexerit, formaverit cogitationes. Scopam, ut exemplo utar, qui finxit mare illud marmoreum, quod summa admiratione dignum fuisse vel ex anaglypho illo Monacensi [9]) cognoscitur, quis est qui neget incensum fuisse maris aspectu, quod ambit patriam artificis, quod ipse intuebatur inde a puero? De poetis quidem certe talia produntur memoriae. Narrat qui vitam Euripidis scripsit, poetam de foro decessisse in insulam, ubi erat natus, ibique solitariam vitam egisse in maris propinquitate et inde putat esse factum, ut carmina poetae plena sint imaginibus de mari petitis; Sophoclis imagines ingeniose dicit Schneidewinus [10]) in patrio saepe pago versari ejusque ornamenta laudibus efferre; quae si vera sunt, artificum quoque opera quibus causis nata sint, investigemus. Causarum autem, quibus permoti artifices alia alio modo imitabantur vel validissimam fuisse puto proprietatem morum, quibus artifex sicut ceteri populares tenebatur. Aliter enim ac recentiorum temporum homines veteres populi tanta erant vitae consiliorumque communitate, ut singuli non possent quasi soluto hoc vinculo sua persequi. Artifex igitur quae omnes sentiebant sentiebat et ipse eodemque studio imbutus quo ceteri signa posuit perfecta absolutaque, quibus ea praebebat oculis spectanda, quae summa mentibus omnium obversabantur [11]).

---

9) Cf. O. Jahnium in Actis societ. Saxon. 1854.

10) ad Oed. Col. v. 711.

11) Haec duo non possum praeterire. Welckerus (l. l. p. 38) objicit, nihil tradi a scriptoribus de plastice Dorica, multa de architectura deque musice. Quod non miror; hae enim artes certis quibusdam notis, quas omnes oculis auribusque percipiunt, distinguuntur, musice singulari quadam numerorum modorumque ratione, architectura colum-

Quae si ita sunt, videtur quaerendum, quonam potissimum tempore effloruerint inter Graecos diversitates artium; etenim vix est quod moneam, primis temporibus artes Dorum Atheniensiumque si non easdem, at certe non ita magna fuisse diversitate [12]). Scitum est illud Quatremerii [13]) origines artium similes esse sicut semina plantarum, dissimilia quae inde nascantur. Jam si gentium diversissimarum prima signa similem praebent speciem, nonne quae inter unius gentis nationes prima nascentis artis ex-

---

nis, triglyphis, aliis rebus. Similibus si quis putet discriminibus plasticen quoque esse notatam, valde errat; non adeo manifesta sunt hujus artis discrimina, neque possunt esse. Idem videmus in philosophia. Pythagorae philosophiam vocant scriptores vel Italicam vel Pythagoricam; quis tamen nostrum dubitet eam Doricam vocare, quippe quae tota sit conformata ad Dorum mores cogitationesque. Etenim quod et in philosophia et in plastice Doricum vocamus, non ex eo genere est, quae certis notis sub oculos cadant neque esse potest. Quodsi studia artificum rationesque quas secuti sunt in imitatione diligenter perpenderis composuerisque cum institutis totius nationis, invenies similitudinem. Mirum sane esset magnoque dignum studio investigantium, si natio in ceteris rebus nulli similis nisi sibi in plastice nihil edidisset singulare. Alterum est hoc. Dixerit enim quispiam, tune vis Doricum aliquid inesse rei a Doribus spretae? Nonne scis officinam non decoram fuisse nisi perioecis? Quod utique scio (cf. Muell. Dor. II, 29); at tantum non erat discrimen inter cives et qui capite essent minores, ut nihil posset ab illis propagari per perioecos. Tot saeculis inde a Dorum adventu peractis quis negaverit victos induisse Doricum aliquid et formasse se in mores victorum? Quid enim? nonne templa Dorice exstructa spirant hujus nationis severitatem ac simplicitatem? neque tamen cives manus ad ea admoverunt. Fortiter igitur crediderim signa quoque etsi a perioecis facta sint, Dorici ingenii speciem prae se tulisse.

12) Pausanias (VII, 5, 5) discernit antiquissima Atticorum signa, quae e genere fuisse antedaedaleo verisimile est (cf. Welcker. l. l. p. 41), et Aeginetica. Omnia autem signa antedaedalea junctis erant pedibus manibusque demissis; alia igitur re quam statu diversa esse debebant quae Pausanias discernit. Quam vereor ne nunquam sit ad notitiam nostram perventura.

13) De Jove Olympio p. 1.

stiterunt opera vel simillima esse necesse est? Accedit, quod non possunt artifices quid habeant proprii aperire, nisi quibus libertate quadam in arte uti liceat. Ars autem antiquissimis temporibus tota est addicta rebus sacris, est quasi serva templorum. His temporibus non licet mutare illa signa a majoribus tradita et antiquitate religioneque sancita; at posteaquam artifex libera manu, quae cogitatione formavit, fingere potuit, tum maxime intelliges, quid sit illud proprium, quod quaerimus. Non igitur descendam in obscura illa tempora, ubi desunt quo nitamur, sed in iis potissimum temporibus versabor, quibus ars efflorescit ad perfectionem ipsaque floret perfectione. Primum autem componamus tres illos Atticorum artificum nobilissimos, Phidiam, Scopam, Praxitelem cum iis qui profecti sunt e Doricis civitatibus, cum Onata, cum Polycleto, perfectissimo artis Doricae auctore, cum Lysippo. Ac primum quidem ea potissimum persequar, quae nobis tradita sunt a scriptoribus, deinde disseram de diversitatibus monumentorum ante Phidiam factorum, quae nobis sunt relicta. Quae omnia hac disputatiuncula quum non possim complecti, acquiescam in statuis Aegineticis, sperans quae desint fore ut addam alio tempore.

Atque comparaturus inter se artifices rem ita instituam, ut primum quaeram, quid sint imitati, deinde qua materia usi, denique quo quidque modo imitati sint. —

Jam qui vel cursim legerit catalogum artificum, eum non fugiet, in quanta versetur argumentorum varietate ars Attica. Polycleti Lysippique plurima signa unius sunt generis, cujus Polycletus tam est studiosus, ut paucissima apud eum invenias aliunde petita; nam semper fere fingit athletas. Videamus singula. Attici et mares et feminas imitantur, tres illi semper fere mares. Una inter Onatae signa refertur femina; Polycletus fecit Junonem, duas Canephoras, Amazonem; Lysippum, permultorum operum artificem, paucissimas feminas effinxisse scimus [14]). Attici contra quot signa feminarum fuderunt inde a Calamide,

14) Ne repetam ab aliis laudata, adi de his rebus vel Silligii catalogum vel Brunnii historiam artificum.

quem ut simillimum ceterorum non dubito Atticum vocare. Quot Minervae, Veneres, Cereres, Dianae, ut eas dicam quae saepissime offeruntur, profectae sunt ex Atticis officinis! Tenerum igitur ac molle genus signorum, quod illi severi nimis studiosi sprevisse videntur, tribuo Atticis. Marium autem ab his expressa signa quanta sunt aetatum varietate! Illi defixi sunt in una aetate; hic habes teneram Amoris pueritiam, amplam Jovis maturitatem, robustam Neptuni constantiam, florentes Apollinis annos. Deinde maluit ars Attica in Olympo versari quam hominum heroumque signa ponere; petebat argumenta dignissima quae arte ornarentur; contra illi admodum raro ascendebant ad deorum imagines imitandas. Quod noli casu esse factum putare. Quae urbs, ut Pausaniae [15]) verbis utar, ceteras superabat deorum cultu, eadem excellebat simulacris deorum. Tertium hoc affero, quod signis Atticis semper fere velamenta addita sunt, illi autem nuda plerumque corpora ponunt. Longe enim plurimas et Polycleti et Onatae et Lysippi statuas nudas fuisse apparet. Attici contra omnibus fere statuis vestem circumdederunt, quae jucunda quadam varietate ornaret corpora. Jam in his paullisper moremur quaeramusque, quid argumentorum diversitates eae quas dixi valuerint ad genus artificii. Dorienses haerent in signis virorum neque locum dant mulieribus nisi rarissime. Facile concedes artifices, qui semper fere virilia corpora imitentur, aliter imitari quam qui mulieribus quoque operam dent et dura misceant mollioribus. Hoc enim interest inter corpus virile femineumque, ut in femineo sint occultata, quae eminent in altero. Corporis structuram in viro melius perspicies quam in muliere; etenim in viro ea quae firma sunt ubique fere quasi evincunt atque exsuperant molliora, in muliere autem sentire magis quam cernere tibi videris corporis structuram; adeo multa sunt ossa intus latentia obducta carne. Corpus virile adstrictius est quasi sit certa lege fictum, muliebre liberioris est habitus neque ad certa praecepta videtur conformatum [16]).

---

15) I, 17, 1.

16) Aristoteles mulierem vocat ὕλην, virum autem εἶδος cf. locos a Schwe-

Quo fit ut lineamenta leniter fluant in muliebri, discreta sint in virili neque tenera continuatione conjuncta. Quam autem sit Doriensium, ea praeferre corpora, quae minore venustate libertateque praedita graviter sint ac severe conformata, Atticorum autem ea, quae carnis plus habeant quam lacertorum, ut verbo Quinctiliani utar, non est quod copiosius explicem. Etenim in omnibus Dorum rebus stabilia omnia atque severa regnant, unde in arte quoque aliquid inest virile; parum est enim dicere propter gymnasticen inprimis apud Dores florentem tanto studio virilia corpora esse efficta. Dores fugiebant liberiora; id quod etiam alterum illud declarat, quod supra diximus, nuda corpora eos praetulisse velatis. Fugiebant liberiorem vestium motum et quae inde nascitur varietatem lineamentorum; id quaerebant, quod simplex esset atque rite coercitum certaque lege circumscriptum. Vide autem, quot fundere venustates penes eos sit artifices, qui vestes signis addant [17]). Quid potest pulchrius cogitari, quam corpora agitata, quae vestibus quasi velis intentis amicta sint? Intuere anaglypha illa Phigaliae inventa vel quae detracta sunt de templo Victoriae; quanta ornant varietate vestes fluitantes agitata adolescentium corpora! Vide mulierem illam, quam fortuna inter Parthenonis reliquias conservavit, reclinatam in gremio sororis; quam mire vestium lineamenta quasi pererrant floridam vegetamque corporis formam! Vide denique in anaglyphis, quae cellae ejusdem templi erant ornamenta, virgines illas ab ore sacerdotis pendentes, quarum vestes tam modeste sancteque defluunt, quasi sentirent et ipsae festum deae diem. Sapienter Praxiteles Veneri illi nudae per terras inclytae vestem apposuit, quae rugarum varietate ac venustate oculos delectaret. Statuae Aegineticae nihil monstrant nisi corpora atque arma; in iis autem monumentis, quae ab artificibus Atticis facta pugnantium praebent imagines, vehementes corporum motus ornan-

---

glero congestos ad Metaph. V, 28, 3. Lucianus (Abdic. 28) feminarum corpora vocat ἔκλυτα καὶ ἀσυμπαγῆ, virorum εὐπαγῆ καὶ ἔυτονα.

17) Bene disputat de hac re Hemsterhusius in Opp. div. I. p. 453. cf. Feuerbachium de Apoll. Vatic. p. 168 seqq.

tur et quasi augentur vestibus agitatis [18]). Hoc igitur est Atticorum, sensisse, quantum afferret ad statuae pulchritudinem addita vestis; qua tantum abest ut corporis lineamenta oculis evanescant, ut exstent emineantque e sinu vestis, quae ut Goethiano illo utar, resonat tanquam vocis imago figurae corporis. Dorienses denique diximus humana simulacra praetulisse divinis quorum studiosissimi sunt Athenienses. Athenis omnes fere dii ad summam perfectionem sunt adducti; Athenis ea deorum signa, quae exemplaria vocamus, quae absolutam perfectamque imaginem praebent, quam imitantur posteri, non superant neque mutant, sunt profecta fere omnia. Junonis Mercuriique pulcherrimas imagines nonnullis [19]) concedas licet apud Dorienses esse inventas — quod ipsum neutiquam certum est — ceterorum autem deorum simulacra longe praestantissima ex Attica officina exiisse, nemo est qui infitietur. Et ne patrii quidem dei imaginem, Apollinis, quem nascente arte frequenter imitabantur, Dorienses absolverunt; quantum quidem ex iis quae traduntur scire licet Apollinis quoque imago perfecta recentiori Atticorum disci-

---

18) Hinc nobis contingit certissimo argumento negare anaglypha Olympiae inventa profecta esse ex officina Attica, qua in re gaudeo quod ipse Welckerus (in descript. mus. Bonn. p. 167) mecum facit. Etenim nympha illa, quae rustica quadam venustate mirum quantum delectat, veste est amicta, quae tam lente fluat tamque graviter pendeat, (Welckerus p. 166. ita dicit: Die Gewänder sind hier in einfachen, etwas schwerfälligen Massen frei behandelt) ut dubitem, sitne unquam ab Attica manu tale aliquid factum. Non est ex antiquo illo genere vestium in rebus sacris adhibito; immo soluta est omni antiquitatis rigiditate, sed summa severitate composita prorsusque aliena a more Atticorum. Hos autem cur negem analgypha illa fecisse hoc gravissimum argumentum est, quod non potuit ars Attica, postquam in Thesei templi ante Jovis Eliaci templum exstructi anaglyphis vestes expressit liberrime profluentes, postea descendere ad grave illud vestium genus. Decet hoc Doricos artifices, qui semper fere nuda virorum corpora imitabantur et liberiorem vestium motum fugiebant. — Ceterum in anaglyphis illis, summa dignis admiratione, multa alia insunt propria.

19) Ita Feuerbachius in Opp. rell. ab Hettnero edit. III. p. 61.

plinae debetur. Casu autem et temere artifices Atticos deis fingendis operam dedisse nemo opinabitur. Athenienses omnium religiosissimos fuisse in cultu deorum tradunt scriptores [20]); nonne artificum quoque manus debebat excitare id, in quo omnium animi erant defixi? Mente quoque et cogitatione Athenienses erant praediti liberiore et ob hanc quoque causam ars eorum non in iis rebus versabatur, quae sub oculos cadunt, sed in diis qui mente intelliguntur.

Atque haec quidem dicta sunto de argumentis, in quibus tantam videmus Atheniensium Doriensiumque diversitatem, ut cetera quoque dissimilia fuisse vel ex his liceat contendere. Transeo ad alterum caput. Non eadem usi sunt materia ad signa fabricanda Attici Doricique artifices. Ex aere semper fere fingebant Dorienses [21]), quorum qui sunt nobilissimi Polycletus Lysippusque, ne verbo quidem Plinii referuntur inter sculptores neque ullum quod sciam opus marmoreum illis tribuitur. Marmor autem sibi vindicant artifices Attici, quod vide quam aptum sit eorum argumentis. Carnosum est ac tenerum, quamobrem mulierum signis aptum est. Et finge tibi corporibus inclusos deos Olympios aeterna florentes juventute! nonne aeri praeferes nitentia marmora? Etenim aliquid sereni spirat marmor, aes vero grave ac severum. Optime autem aere uteris, si signum omnibus numeris emendatum ac politum facere volueris, in quibus summam positam esse famam Doriensium postea videbimus. Aere enim accurate et distincte vel supra verum exprimuntur rerum figurae, lineamenta autem, quae marmorea corpora circumscribunt, molliter continuantur et quasi profluunt ut in naturae veritate [22]). Aes autem et propter colorem, quem cum cute athletarum sole adusta congruere dicit Dio Chrysostomus [23]),

---

20) Adde loco Pausaniae supra laudato Philostr. Vit. Apollon. IV, 19; VI, 3. Soph. Oed. Col 206. 1006. 1125.

21) Vide O. Jahnium egregie hac de re disputantem in orat. de arte Hellen. habita Gryph. 1844 p. 9.

22) cf. de Praxitele etc. p. 60. seqq. et quos ibi (n. 1) laudavi, quibus adde Toelkenium de anaglypho p. 142. seqq.

23) Orat. XXVIII. p. 289 B. cf. Boettig. in scholis 24 de archaeol. p. 131.

aptissimum est ad ea exprimenda, quae Doriensibus erant gratissima, corpora arte et palaestra conformata.

Jam quaero quomodo quidque imitati sint artifices, in quo gravissimas fuisse artis differentias veterum judicia docent. Neque enim idem in Atticis, idem in Doriensibus artificibus laudant. Artem plerumque praedicant in opere Dorico; Atticis operibus dicunt animos intuentium commoveri; altera juvant intelligentiam, altera feriunt animum. Neque crediderim Dorienses ardore quodam ingenii concitatos opera fecisse, sed meditatione potius atque consilio in arte usos esse. Videamus enim quae Plinius [24]) refert de Polycleto et Lysippo. Alter primus scripsit de apta membrorum compositione; excogitavit leges quasdam, ad quas corpora accommodaret; fecit statuam tam concinnam, ut canonis nomen acciperet, „solusque hominum artem ipsam artis opere fecit." Alter eandem viam persequitur et novam excogitat rationem statuarum membra componendi. Haec omnia non tales decent artifices, qui divino quodam spiritu inflati opera fundant, sed qui meditatione utantur ac ratione. Mathematicum nescio quid, ut uno verbo dicam, inest inprimis in arte Polycleti, qui ad culmen artis pervenit accurata statuarum concinnitate. Ut Dorica Pythagoreorum philosophia rerum varietatem certis numeris comprehendit et quasi coercet, ita Dorica Polycleti ars ad certam rationem certasque leges mathematicarum instar definitas formavit corpora. Nunquam, quantum scimus, tale fecit signum, quod vividum et quasi spirans vocetur, id quod laudi tribuitur omnibus fere Atticis [25]), id quod nos admiramur in iis quae Athenarum templa nobis tradiderunt; haec videntur sponte nata, labore facta Polycleti opera. Loquuntur veteres de labore, diligentia, decore, arte Polycleti [26]), artem laudat Pausa-

---

24) XXXIV. c. 19 §. 2. 6.

25) cf. de Phidia Juven. VIII, 104: Phidiacum vivebat ebur; de Scopa Callistrat. stat. 2; de Praxitele Stat. Silv. IV, 6, 26: Vivant quae marmora caelo Praxitelis. cf. Callistr. stat. 8; pulcherrimum hujus artificis signum, Venerem Cuidiam, „quasi spirans" vocat Val. Maxim. VIII. c. 11. 4.

26) cf. Plin. l. l. Quinctil. XII, 10, 7. Juven. VIII, 105: Polycleti mul-

nias [27]) in Onata, contra vivunt omnia, quae Attica officina fudit inde a Daedalo [28]), quem scite dicit comicus signis vivum argentum infudisse [29]). Altera diversitas est haec: Dorienses qui athle-

---

tus ubique labor. Strabo (VIII. p. 372) Polycleti opera qui erant in Heraeo vocat *τῇ μὲν τέχνῃ κάλλιστα τῶν πάντων, πολυτελείᾳ δὲ καὶ μεγέθει τῶν Φειδίου λειπόμενα.*

27) VIII. 42, 7: *Τοῦ δὲ Ὀνάτα τούτου Περγαμηνοῖς ἐστιν Ἀπόλλων χαλκοῦς, θαῦμα ἐν τοῖς μάλιστα μεγέθους τε ἕνεκα καὶ ἐπὶ τῇ τέχνῃ.* Miror, cur de Onata, quem summis laudibus effert Pausanias (V, 25, 13,) ne verbum quidem exstet apud Plinium. Neque tamen possum, quin Pausaniae locum cum Schellingio (l. l. p. 171 seqq.) interpreter, qui refutat Quatremerii (l. l. p. 176) sententiam — quam nihil curantes quae contra disputata sunt repetunt Schoellius in literis e Graecia p. 38 et Walzius in encyclop. Paul. s. v. Onatas p. 932 — Onatam a Pausania cum antiquiore tantum Atticorum disciplina componi judicantis. Schellingii sententiam accipiunt Muellerus (Aeginet. p. 110) et Welckerus (Mon. a. a. I. p. 37)

28) Eurip. fr. Eurysth. VIII. Dind.:
τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ
βλέπει τ' ἀγάλμαθ'· ὧδ' ἀνὴρ κεῖνος σοφος.

29) Aristot. de anim. I, 3: *ἔνιοι δὲ καὶ κινεῖν φασὶ τὴν ψυχὴν τὸ σῶμα, ἐν ᾧ ἐστίν, ὡς αὐτὴ κινεῖται, οἷον Δημόκριτος, παραπλησίως λέγων Φιλίππῳ τῷ κωμῳδιδασκάλῳ· φησὶ γὰρ τὸν Δαίδαλον κινουμένην ποιῆσαί τὴν ξυλίνην Ἀφροδίτην, ἐγχέαντ' ἄργυρον χυτόν. ὁμοίως δὲ καὶ Δημόκριτος λέγει· κινουμένας γάρ κ. τ. λ.* Mirum in modum de hoc loco erraverunt interpretes. Quatremerius l. l. p. 171 ita: „On attribuait à Dédale ces figures de bois mobiles qui selon le témoignage de Démocrite (?) et du poète comique Philippe rapporté par Aristote étaient mises en mouvement au moyen du vif-argent dont on remplissait leur intérieur:“ idem p. 25: „C'était de ce bois (ébène) qu'on faisait les petites figures mobiles qui au moyen du vif-argent contenu dans leur intérieur exécutaient ces pantomimes usitées dans les fêtes de Bacchus. On en attribuait l'invention à Dédale.“ Doleo quod inania fabulatur homo ceteroquin elegantissimus. Beckmannus (hist. invent IV, 101) ita: Aristoteles redet von einer Venus aus Holz und merkt dabei an, das Kunststück habe darin bestanden, daß Quecksilber eingegossen worden. Unbegreiflich! (Ita sane.) Diese Venus ist doch wohl nicht etwa rücklings über Kopf die Treppe heruntergegangen, wie die chinesischen Puppen.“

tarum erant studiosissimi, corpora potissimum debebant spectare, Atticos vero in diis fere versantes vultui quoque operam dare necesse erat. Et profecto inde a Daedalo, cujus signa *ἀτοπώτερα μέν ἐστιν ἔτι τὴν ὄψιν, ἐπιπρέπει δὲ ὅμως τι καὶ ἔνθεον τούτοις* [30]), divinum aliquid quod mentes intuentium commoveret atque omnino animum in vultu exprimere erat Atticorum. Polycletus „non explevit deorum auctoritatem" [31]),

---

Beckmannum sequitur Boettigerus l. l. p. 49. Brunnius p. 16 ita: Ein Holzbild der Aphrodite erwähnte laut der Bemerkung des Aristoteles (de anima 1, 3) auch Demokrit (?) wegen des eingegossenen Quecksilbers, das dem Bilde Bewegung verleihen sollte. Da Pausanias von diesem freilich unerklärten Mechanismus schweigt, so wird es wohl von dem delischen Bilde zu unterscheiden sein. (cf. Paus. IX. 40, 3.) Verba ista apud Aristotelem non Democriti esse sed Philippi apparet vel ex iis quae sequuntur: *ὁμοίως δὲ καὶ Δημόκριτος λέγει*; sed quid haec comici verba sibi volunt? Aristoteles rejicit Democriti de anima doctrinam, quam similem esse dicit comici illius dicto. Etenim comicus, opinor, Daedali signa plena esse argenti vivi dixit, scilicet quo facete interpretaretur viva ista miracula. Nihil tota res est nisi facete dictum, ut nos quoque hominibus, qui justo sunt mobiliores, argentum vivum dicimus infusum esse. Assentior tamen Brunnio Veneris signum de quo Philippus loquatur aliud esse putanti quam Deliacum ejusdem deae apud Pausaniam memoratum, sed hanc ob causam assentior, quia illud comici dictum signo hermarum instar formato parum convenit. — Ceterum errant et Roulez (Acad. de Brux. X: Sur le mythe de Dédale p. 14) et Brunnius p. 20, nulla nisi lignea signa Daedalo dari putantes. Exstat locus Aristotelis (de mirab. auscult. 81. Bekk.), et aeneum opus et stanneum Daedalo tribuentis. Neque tamen negaverim, opera Daedalea lignum sibi vindicare ut suum; nam sicut Homerus, cujus fata eadem sunt atque Daedali, qui orbem pererrasse fertur ut Daedalus, qui Aegyptius vocatur ut hic alter, sicut igitur Homerus non solum sui h. e. epici generis carmina sed alia quoque dicitur fecisse, ita Daedalea vocantur non solum lignea, quae sola debebant, sed alia quoque opera.

30) Pausan. II, 4, 5.

31) Quinctil. XII, 10, 7. Quae de Polycleto referuntur valde inter se discrepant, id quod praeter alia argumenta Thierschium (l. l. p. 204. seqq.) movit, ut duos fuisse Polycletos, alterum Sicyonium, alterum

Phidias summam deorum majestatem assecutus est. Non dico artifices Atticos artem neglexisse prae studio animi affectuumque in signis exprimendorum, sed animum intuentis maluerunt tangere quam sola arte mentem atque intelligentiam hominum capere. Quid enim laudant scriptores in signis Phidiae, Scopae, Praxitelis? Animum, ut uno verbo dicam, ex iis elucere; Phidias evehit ad deos, agitat perturbatque mentem Scopas; Praxiteles summus in hoc genere, pectus quasi extrahit e sinu marmoreo durumque lapidem reddit animi ardore solutum [32]).

Jam disseram de monumentis, quod faciens aptius addo, quae possum iis quae adhuc disputavi adjicere. Quum autem, qui de arte nascente quaerunt, non possint certo pede incedere, nisi eorum opinione rejecta, qui artem Graecorum ex Aegypto petunt, quam brevissime argumenta aliquot afferam, quibus ad-

---

Argivum censeret. Non possum quidem quin Muellero aliisque assentiar, qui unum fuisse volunt, miror tamen quam audacter Brunnius (p. 232) dicat, nullum fere esse artificem, de quo quae referantur tam plana sint atque expedita. Defuit pondus Polycleto, si Quinctilianum audis; Dionysius contra Halicarnassensis (de Isocr. c. 3) laudat eum propter *τὸ σεμνὸν καὶ μεγαλότεχνον καὶ ἀξιωματικόν*; quis tandem negaverit haec esse contraria? „Non explevit deorum auctoritatem"; at alter meliorem eum fuisse *ἐν τοῖς μείζοσι καὶ θειοτέροις* affirmat quam in hominibus; nonne haec inter se discrepant? Utrum autem sequemur? Quinctilianum, ni fallor; etenim quae hic judicat, concinunt cum „labore" Polycleti apud Juvenalem, concinunt cum Strabonis sententia, concinunt cum Plinio, quem in his rebus vel gravissimum habemus auctorem, qui talem nobis informat artificem, qui summus quidem fuerit concinnitate omnibusque rebus quae ad artem pertineant, sed quem non parem fuisse dixerimus augusto illi atque sublimi generi, quo Phidias animos commovet. Haec autem si vera sunt, mittamus caput illud Junonis Ludovisianum Polycleteum nominare, id quod unus quantum scio noluit Hirtius (hist. art. p. 216.) Aut enim errant Quinctilianus Pliniusque, aut caput illud non debetur Polycleto, quippe quod tam sit sublime, ut ne fingere quidem possis, quod melius „expleat deorum auctoritatem". Quae laus non mea est, sed omnium.

32) cf. de Praxit. p. 45 seqq. Hoc spectant fortasse summae Varronis laudes apud Gell. N. A. XIII, 17, 3.

ducor, ut ne minimam quidem communionem arti Graecae cum Aegyptiaca fuisse existimem. Quod eo magis videtur necessarium, quia in ipsis statuis Aegineticis, de quibus postea dicam, nuperrime A. Feuerbachius, vir ingeniosissimus, vestigia artis Aegyptiacae invenisse sibi visus est [33]).

Diversissima est Graecorum et Aegyptiorum ars atque fabricatio: Nam primum canone utuntur Aegyptii, Graeci membra signorum componunt oculo duce [34]).

Deinde semper ex uno lapide Aegyptiorum signa facta sunt [35]), Graeci inde ab antiquissimis temporibus alio quoque genere sunt usi. Apollo enim Theraeus, quem omnium quot habemus signorum antiquissimum vocare non dubito [36]), e duobus compositus lapidibus est [37]). Hoc autem fabricandi genus si non usitatum at certe non erat rarissimum [38]).

Tum capita diversissimam praebent speciem; sunt quidem oris anguli in Aegyptiacis quoque signis leniter sursum ducti,

---

33) l. l. II, 135.

34) Diod. Sic. I, 98, ubi Apollinis ligneum signum ad canonem a duobus artificibus factum, ut fabula est, excipitur a solito more. Hanc autem fabricationis diversitatem ipsi confitentur Aegyptii, quos πολλὰ λέγειν φιλοτιμότερον ἤπερ ἀληθινώτερον dicit Diodorus I, 29.

35) Lepsium, summum virum eundemque magistrum maxime venerandum, habeo auctorem.

36) Consentiunt Welckerus (l. l. l. p. 399) qui unum confert Minervae signum antiquissimum, quod Athenis est, et Rossius (Annali dell' Inst. XIII, p. 15.)

37) Vide Rossium (Schorn's Kunstblatt 1836. p. 71.)

38) Cf. Bacchi signum, quod Thrasylli monumentum ornabat, in quo et capiti et brachiis sui erant lapides (Mus. Brit. IX. pag. 2). Interpres mus. Brit. hoc genere fabricationis — quod artis statuariae quoque proprium fuisse scimus — putat usos esse artifices, quia marmorum glebae ad magna signa non suppeditarent. Constat sane, marmor Parium non ita magnis glebis caedi (cf. Meyer. hist. art. 1824. II. p. 85.); conjiciat autem quispiam, praesertim quum Apollo Theraeus non ita magnus sit, opera marmorea ita nata videri e ligneis, ut artifices primo capita, pedes, manus e marmore adjecerint ligneis corporibus, deinde progressi sint ad solida marmora, mansisse autem in solidis statuis fabricationem in acrolithis usitatam.

sed quis unquam vultum illum risu distortum, deformem sane sed in quo animum sentias nascentem, vidit in illo torpore Aegyptiaco? Deinde aures supra nasum eminent in signis Aegyptiorum, in antiquissimis Graecorum, in Apolline Theraeo et Teneaeo, non superant altitudine nares primores. Errat autem Feuerbachius, statuas Aegineticas hac re similes esse Aegyptiis dicens.

Denique non solum statuarum sed etiam anaglyphorum ratio est diversissima. Constat enim Aegyptios eo usos esse genere, quod Francogalli vocant „relief en creux", ubi figurae videntur „lapidibus quasi impressae [39])." Exstant contra apud Graecos atque emergunt figurae, si ita dicere licet, quasi e gremio lapidis, in quo inclusae eas mos tenet Aegyptiorum [40]).

Jam quaero ex iis, qui origines artis Graecae ex Aegypto repetunt: illa si diversa sunt, quae ad fabricationem et ad speciem statuarum pertinent, nonne vel diversissimum esse necesse est fontem, unde ars manaverit? Unum addo, antiquissimum illum Apollinem Theraeum, in quo miror Welckerum [41])

---

39) Sunt verba Toelkenii: de anagl. p. 11. — Alias anaglyphorum diversitates legis apud Muellerum in Annal. Vindob. XXXVI, 4, 178.

40) Venustissima illa fabula, quae de inventione anaglyphorum traditur, ad veritatem mihi videtur conformata. „Butadis filia, inquit Plinius (XXXV, cap. 43), capta amore juvenis, abeunte illo peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit:" imagines enim adumbratas, ubi nihil fere vides nisi lineas extremas, antiquissima praebent anaglypha. Quo e genere est anaglyphum illud Samothracium, quod inscriptum quidem est literis recentioribus, morem tamen refert antiquissimum. Deinde Butades prostypa fecisse dicitur et postea ectypa; primis enim temporibus figurae minus eminent e plano quam postea, ubi exeunt quasi adultorum instar e domo, cui prima artis aetate adhaerescunt sicut infantes. — Quid autem volunt, quae de puella et de juvene abeunte narrantur? Nescio, nisi forte res ita se habet: Mos erat, ut constat, apud Graecos tumulos lapidibus ornandi, qui exsculptas praebebant mortuorum imagines. Juvenis peregre abiens, quem puella memoria vult infixum tenere, fortasse est juvenis e vita abiens, ita ut anaglyphorum inventio ad mortuorum imagines sit referenda.

41) l. l. I, p. 399.

de arte Aegyptiaca cogitasse. A qua, si quid video, toto coelo distat, ita ut verissimum mihi videatur Muelleri illud nimis breve dictum, quod vereor ne Schoellius, cui ejus memoria debetur, minus recte interpretatus sit. Dicit enim Muellerus, Apollinem Theraeum Indicis signis similiorem esse quam Aegyptiis. Ita autem differunt signa Aegyptiaca ab Indicis ceterarumque Asiae gentium signis, ut haec justo sint carnosiora, illa macie torrida. Theraeus autem tantum abest ut adstricta quadam gracilitate teneatur, ut propemodum turgeat corpore; quam ipsam ob causam Muellerum puto illud sensisse [42]). His brevissime expositis — longe enim rem persequi per hujus disputatiunculae fines non

---

42) Valde errat Welckerus (pag. 402) Theraeum eundem fere esse putans atque Teneaeum (Monum. dell. Instit. IV, 44. cf. quae breviter disputantur in Annal. XIX p. 305). Sunt enim toto coelo diversi, qua de re dicam quam brevissime. Theraeus est rudi ubertate, alter adstricta quadam gracilitate. Ita judicabit qui vel semel viderit. Brachia in utroque sunt demissa; Theraei autem brachia cohaerent cum corpore fere tota (circa cubitum paullulum distant), Teneaei soluta sunt praeter manus. Paullatim enim membra solvuntur, quae initio haerent in corpore. Theraeus fractus est supra genua; quae supersunt femorum cohaerent inde a pube; Teneaei quoque femora cohaerent a pube usque ad mediam partem, sed distinctius sunt expressa, cum fluant quasi Theraei membra. In utroque pectus fortiter eminet, sed laxum est ac liquidum in Theraeo, adstrictum compactumque in altero. Valde autem mirum, quod Theraei laeva mamma uberior est quam dextra, quod cur factum sit ab artifice nescio. Leni sulco Theraei pectus distinguitur a ventre; nervus qui dividit ventrem in eodem delineatus videtur non impressus; femoris ossa eminent quam lenissime. Haec omnia satis distincte expressa sunt in Teneaeo, qui pressa est atque gracili tenuitate. Pedibus est diductis ut alter. Theraei vultus rigidam prae se fert antiquitatem, venustior est Teneaei. Neuter os habet apertum. Alterius nasus, in quo nares quidem primores sunt mutilati, leniter est aduncus, recto utitur Teneaeus. Theraei vultum fateor ex omni parte simillimum esse operibus figlinis ex insula Cypro advectis, quae asservantur in reg. mus. Berol., quorum optimum delineatum vides apud Gerhardum: De arte Phoenic. (Script. acad. Berol. 1846. tab. VI. cf. p. 586 et n. 35.)

licet — pro certo habeo artem Graecam e suis effloruisse seminibus.

De arte Aeginetica acutissime disputavit Muellerus [43]). Quae Hesychius vocat *Αἰγινητικὰ ἔργα*, ea Muellerus censet ex illo genere esse, quo utebantur ante Daedalum in deorum simulacris, separat tamen, id quod alii negligunt, ab illis Hesychii verbis nonnulla Pausaniae, quae artem fuisse Aeginetarum propriam declarant. Welckero [44]), qui negat proprium quoddam artis genus floruisse apud Aeginetas hos locos oppono: *Τὸν δὲ Ὀνάταν τοῦτον ὅμως, καὶ τέχνης ἐς τὰ ἀγάλματα ὄντα Αἰγιναίας, οὐδενὸς ὕστερον θήσομεν τῶν ἀπὸ Δαιδάλου τε καὶ ἐργαστηρίου τοῦ Ἀττικοῦ* [45]) Quam hic vocat artem Aegineticam, quam Onatas quoque secutus est, propriumne habebat statum aliquem signorum? Hoc ne ipsum quidem Welckerum puto credere. Alter locus non solum docet fuisse Aeginetis proprium quoddam artis genus, sed etiam quale fuerit. De arietibus, quos in insula Corsica vidit, ita loquitur Pausanias [46]): *Οἱ δὲ κριοὶ μέγεθος μὲν τοὺς ἑτέρωθι οὐχ ὑπερβάλλουσιν, εἶδος δέ ἐστιν αὐτοῖς ὁποῖον ἐν πλαστικῇ τις ἂν τῇ Αἰγιναίᾳ ποιήσειεν* [47]) *ἀγρίου κριοῦ· τὰ μέντοι ἀμφὶ τὸ στῆθος δασύτερά ἐστιν αὐτοῖς ἢ ὡς πρὸς Αἰγιναίαν τέχνην εἰκάσαι· κέρατα δὲ οὐ διεστηκότα*

---

43) Aeginet. p. 100. 110. 112.

44) l. l. I, p. 41.

45) V, 25, 13.

46) X, 17, 12.

47) Verba *ἂν ποιήσειεν* docent Welckerum errare ita dicentem: „Pausanias bezieht sich auf die gebrannten oder gegossenen (Widder) in Aeginäer Kunst, welche nemlich als Zeichen der Stadt häufig gewesen sein müssen, und im Brustbild auch auf ihren Münzen gefunden werden". Ceterum vel ex verbis *τέχνη πλαστική*, quibus utitur scriptor, apparet, proprium quoddam artis genus in insula Aegina fuisse. Brunnius quid sentiat de arte Aeginetica non assequor, qui (p. 28) — nihil curans quae Muellerus disputavit (Aeginet. p. 110) — dicit: „das Wesentlichste (was wir von aeginetischer Kunst wissen) enthält eine Glosse des Hesychius: *Αἰγινητικὰ ἔργα· τοὺς συμβεβηκότας ἀνδριάντας*". Idem (pag. 94) nihil scire videtur de arte Aeginetica.

ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ἀλλὰ ἐς εὐθὺ παρὰ τὰ ὦτα ἔχουσιν ἐληλιγμένα· ὠκύτητι δὲ ἅπαντα τὰ θηρία ὑπερήρκασι. Haec verba docent artem Aegineticam eadem diversitate remotam fuisse a ceteris, qua Corsici arietes a ceteris arietibus; nam si statuarius Aegineticus fingat arietem, eum opinatur Pausanias Corsicani similem esse ficturum. Apparet igitur, qui arietes illos noverit, eundem de arte Aeginetica aliquid esse intellecturum. Unum ipse praebet scriptor; dicit enim arietes cursu esse insignes. Unde videtur verisimile eos gracili atque tenui fuisse forma. Rem ita se habere docent, qui historiae naturalis periti sunt, inter quos Plinius [48]) quidem nihil affert ad rem, Okenius [49]) tamen oves Corsicae capreis esse similes dicit. Villosiore pectore addit Pausanias eos fuisse quam pro arte Aeginetica; vides, opinor, quam recte dixerit Muellerus, tenue quoddam artis genus hic intelligi. Cui contrarium quod carnosum est. — Jam quaeramus utrum hoc, quod Pausanias proprium esse vult artis Aegineticae, proprium sit signorum, quae habemus, necne. Quam quaestionem priusquam aggrediar, cognoscendum quo tempore statuae factae sint — id quod adhuc in magna versatur controversia — ne quis artium initiis tribuat, quod earum proprium est et aliter explicandum atque ex artis infantia. Welckerus acriter defendit Schellingii sententiam, qui statuas Aegineticas si non multum at aliquantulum temporis ante bella Persica facta esse opinatur. Contra stant Muellerus, Hirtius, alii, quorum argumenta non satis firma esse concedo Welckero. Neque tamen recedo a Muelleri sententia, quae una certo pede stat. Plinius [50]) enim dicit,

48) VIII. cap. 75: Est et in Hispania sed maxime Corsica non maxime absimile pecori genus musmonum caprino villo quam pecoris velleri propius.

49) Hist. nat. VII, 2, p. 1334.

50) XXXIV, cap. 19. §. 4. Facile intelligitur quid Pythagoram adduxerit ad venas exprimendas. Primus enim corporis dolorem expressit in Philocteta. In cujus pede vulnerato venas dolore intumuisse necesse est. Quod ii confirmabunt qui Laocoontis pedes viderunt. Philocteta autem Pythagorae corpus quidem dolore distractum, vultum tamen habuit tranquillum. Aliter Feuerbachius (l. l. III p. 89), cujus verba afferam: „Ohne den beredtesten Ausdruck des Kopfes ist die Wirkung

Pythagoram Rheginum primum venas expressisse; venae autem quam accuratissime expressae sunt in statuis Aegineticis [51]); sunt igitur statuae post Pythagoram factae, i. e. post Olymp. 75. Nititur igitur Muelleri sententia auctoritate Plinii. Alterum est quod statuae illae monstrant corpora, in quibus subtilissima quaeque sunt expressa. Welckerus [52]) eodem fere tempore opinatur factas esse statuas Aegineticas, cujus sit monumentum illud, quod de Harpyiis vocant, Olymp. 85, 3. Credat — quod pace viri summi dixerim — Judaeus Apella; nam mirum quantum distat et perfectione et genere. Vellem vir summus docuisset, qua tandem ratione procedat et incrementa capiat ars in corpore fingendo. Scilicet ita ut artifex primo vastam corporis molem paucis tantum lineamentis designet, quibus structura corporis videtur quasi adumbrata, deinde exprimat, quae subtiliora sunt, musculos et venas. Nam ut natura, exemplar illud arti ad imi-

---

undenkbar, welche die Alten seiner Statue beilegten. (Ulceris dolorem, inquit Plinius, sentire etiam spectantes videntur.) Schon in der Wirklichkeit empfinden wir an uns selbst sinnlichen Schmerz nur durch das Bewußtsein desselben, also gleichsam mit dem Kopfe; und von fremdem Schmerze bleiben wir unberührt, wenn eine ruhige Miene die schmerzzuckenden Glieder Lügen straft." Suis ipsius verbis refellam virum ingeniosissimum. Dicit enim de Patroclo (Muellerum sequor), qui est inter statuas Aegineticas: „Stellung und Muskelspiel ist von erstaunlicher Wahrheit, und die Haltung des unter der Schwere des Helmes geneigten Hauptes von unaussprechlich rührendem Ausdruck." (II, p. 133, cf. quae disserit de Laomedonte p. 131.) At Patrocli vultus vacuus est a dolore et adeo, ut subrideat. Aliud exemplum praebent anaglypha Phigaliae inventa, ubi corpora vides collabentia, morte soluta, vultus tamen nitent serenitate (cf inprimis tab. VIII apud Stackelb. et p. 60. 86. 88. cf. Thiersch. Epoch. p. 368.) Itaque Philocteta quoque Pythagorae vultu esse tranquillo, pedem tamen vulneratum ita poterat trahere ut „spectantes ulceris dolorem sentirent." Rem posse ita fuisse docent exempla, fuisse ita inde apparet, quia Pythagorae tempore statuarum vultus nondum prae se ferebant affectiones animi.

51) Cf. Wagn. p. 98. 102.

52) ad Muell. enchirid. p. 70.

tandum propositum, a rudi indigestaque mole proficiscitur, quam paulatim describit in partes, distinguit, disponit, ita ars. Quodsi in signis Aegineticis subtilissima quaeque sunt expressa — id quod constat inter omnes — non possunt multum ab aetate distare artis perfectae. Praeterea hoc unum debebat omnes errores corrigere, quod corpora nonnulla, metopis inclusa Parthenonis, arte sunt inferiora neque libera a rigore, id quod a multis dictum est.

Statuae Aegineticae distant perfectione a fastigio Parthenonis, sed magis distant genere quam perfectione. Quis est qui possit de signis quae Minervarum et Atticae et Aegineticae templa ornabant ita judicare, quasi sit in illis perfectum quod inchoatum in his? Fac unam fuisse artem Graecam, nonne signa plane perfecta similitudinem quandam habuisse necesse est cum minus perfectis? Etenim semina rerum perfectione distant, a flore at similia sunt genere. Veritatem admirantur summi artifices in Parthenone, veritatem in signis Aegineticis, at quid est quo differant? Dixeris veritatem naturalem praebuisse Aeginetas, mente vero conceptam atque naturali veritate sublimiorem Athenienses. Quod probo, sed in ipsa corpora inquiro, qua re inter se differant. Carnis mollitia carent, si quid intelligo, signa Aeginetica, cujus veritatem in omnibus admiror, quae Atticae debemus officinae. Tenue quoddam artis genus Pausanias significat loco supra laudato; tenuia sunt ac dura corpora statuarum Aegineticarum. Hoc autem artis genus Aeginetae hanc, opinor, ob causam secuti sunt, quia Dores erant, quos corpora muliebria et molliora sprevisse supra diximus. Quod si verum est, nonne id potissimum debebant spectare, ut structuram, quam corporis legem vocaverim, exprimerent quam diligentissime? Id quod fecit, qui sculpsit statuas Aegineticas, qui summa diligentia ossa, nervos, venas, quibus describitur ac distinguitur corpus, expressit, noluit autem carne molliter fluitante hanc severitatem operire, noluit, si dicere licet, virili generi addere muliebre[53]). Perfringunt ossa

53) Eandem severitatem prae se ferunt juvenes discis Aegineticis incisi, quos delineatos vides in Annal. IV tav. d'Agg. B. Horum quoque

et quasi secant summa corpora, et carnem tam vides attenuatam, ut corpora e dura quadam necessitate videantur nata. Quin etiam ne satis quidem habuit sculptor statuarum Aegineticarum, ossa exprimere ea, quae eminent in naturae veritate, sed eo processit, ut ea quoque, quae intus sunt neque oculis vulgo cernuntur, faceret eminentia. Dicit enim Wagnerus [54]), qui tam egregiam harum statuarum descriptionem edidit, ut his triginta annis nihil fere novi sit additum, os quod medici vocent ensiforme (in quod terminatur os illud, quod pectus dividit) in omnibus statuis esse expressum, quod in veritate non cernatur nisi corpore vehementer retorto. Cur artifex hac in re recessit a natura corporis humani quam in ceteris rebus diligentissime secutus est? Videlicet quod ossa, quibus firmitas et fabrica sive constructio corporis nititur, exprimere voluit vel supra verum. Quamobrem proprium esse artis Aegineticae dixerim, corpora ponere libera minus atque carnosa quam ossea atque dura, id quod non dubito Doricum vocare. At contra signa Parthenonis quam sunt ad naturae similitudinem carnosa! Sed ne perfecta solum ad comparationem vocem, descendamus paululum. Componamus opus illud Aristoclis cum signis Aegineticis [55]). Quod

---

interpres, qui nimis brevis est, Wolfius, cogitat de statuis Aegineticis (p. 75.)

54) p. 96. Quod idem de genuum forma dicit (p. 99), cur factum sit ab artifice, quaeras ex Oedipo; equidem nescio, scio autem musculum rectum (p. 97) in aliis signis eodem modo esse expressum.

55) Copiosam instituit comparationem Brunnius p. 108 seqq. Atticorum esse vult totum ponere, Aeginetarum singula exprimere. Hae diversitates non explicat quomodo fluant ex utriusque populi moribus atque institutis. Et profecto Aeginetas, populum Doricum, singula potissimum curasse non possum adduci ut credam. Hoc enim videtur contradicere Dorum institutis, in quibus singula coercebantur una universaque lege. Idem videmus, ut unum afferam exemplum, in architectura Dorica, ubi singula nihil esse nisi membra ad totum aliquid et absolutum efficiendum egregie docuit Boettícherus in primo Tectonices libro. Sed ne intelligo quidem quid hoc sit, sculptorem statuarum Aegineticarum singula potissimum spectasse. Nonne omnia praeter capita quam perfectissime sunt facta? Nonne igitur totum aliquid

durum quidem, eam tamen habet cum Phidiae corporibus similitudinem, quae intercedit inter artem nascentem et adultam. Toto autem coelo diversum est a signis Aegineticis. Quid enim pinguius potest cogitari viro hoc strenuo ac forti, priscae teste virtutis? [56]) Tam multae carnis ne vestigium quidem inveneris in illis. Compares, ut unum afferam, femora statuae Aristocleae, de quibus Schoellius [57]) dicit „sehr stark [sind] die Schenkel", cum Aegineticis de quibus Wagnerus [58]) ita: „Die Figuren sind im Allgemeinen schlank, etwas schmal von Hüften." Quae si ita sunt, Atticos statuo carnosiora corpora amasse quam Dores [59]). Vide autem quam bene concinant quae supra dixi. Mulieres fingere est Atticorum, quippe quae corpore sint carnosiore quam mares; vivida et quasi spirantia dicuntur signa Attica, quae laus non potest tribui nisi carnosis corporibus; e maribus addo aut eos fingunt, qui amplo sunt corpore, Joves, Neptunos, aut eos, qui molle quid habent ac femineum, Bacchos, Amores, Satyros. Carnoso autem utuntur Attici marmore; aere Dores exprimunt valida adolescentium corpora.

Atque haec hactenus pro hujus disputatiunculae proposito. Multa desunt, sed vel ex his spero fore ut eluceat, eum, qui historiam artis Graecae conscribere voluerit, non posse quin non solum temporum, sed etiam nationum Graecarum discrimina respiciat [60]). —

---

ponit idque perfectum? — Assentior autem Brunnio opus Aristoclis arte esse minus perfectum judicanti.

56) Idem videtur judicare Jahnius in Proleg. ad vasa Monac. p. CLX n. 1106.

57) l. l. p. 28.

58) l. l. p. 96.

59) Quia Jones sunt, apud quos mollia omnia ac tenera regnant; quam rem non est quod exemplis confirmem.

60) Brunnii dispositionem non probo. Unum enim habeat necesse est, qui historiam voluerit disponere, unde aetatum discrimina sumat, aut tempus aut artis perfectionem aut aliud. Quae res miscentur a Brunnio.

Druck von Junge & Sohn.